Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36488
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Cui simile est illud beati Iohannis. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non
facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare quoniam ex deo natus est.
In quantum enim semen dei gratiae qua renati sunt manet in iustis, in tantum
peccare non possunt. In quantum autem peccant, in tantum eos gratia renascens
ad tempus dimiserat, ut quid de ipsis sint agnoscant, quae per ipsam iuste uiue
bant. Quae uidelicet eos post hanc uitam ab omni malo mundos et inte
gra pulchritudine renitentes in illam introducet ciuitatem, in qua nil ut
dictum est potest introire pollutum. Et tunc in amica sponsi ueraciter
implebitur hoc ad quod ipsa nunc toto uirtutis nisu conatur, ut sit tota pul
chra et macula in ea non sit ulla. Veni de Lybano sponsa mea, ueni de Lybano
ueni. Lybanus si hebraeam sequamur ethymologiam candor interpretatur, si graecam
thus. Denique supra ubi nos legimus ad collem thuris, quidam codices habent ad collem
Lybani. Utrumque autem nomen uirtutis industriam sonare facile cuique patet.
Venit autem sponsa ipsius, id est ecclesia ut anima sancta, non solum cum euocata de cor
pore praemium perpetuae remunerationis accipit, sed et in hoc saeculo degens quotiens bonorum
operum crementis ad meliora proficit, tot quasi passibus ad eum qui singulariter bonus
est accedit. Venit ergo tunc cum carnis absoluta uinculis eius uidere faciem meretur.
Cernit ergo sponsam sitam in Lybano, eamque ad se uenire admonet, quia cum fidelem
animam dominus bonis actibus candidatam, incensum purae orationis sibi offerentem
conspexerit, delectatus eius piis studiis ut coeptis insistat hortatur. Quod uidelicet
facit uel per occultam suae inspirationis admonitionem, uel per meditationem scrip
turarum diuinarum, uel per aliorum hortamenta fidelium, uel etiam per rerum aduersa
siue commoda labentium, benigna scilicet apud eam prosecutione agens, ut siue mo
lestiis aduersa praesentis exilii ardentius patriam desideret sempiternae quietis,
seu praesentibus bonorum profectibus adlecta, dulcius indefectiua supernae ciuitatis
gaudia concupiscat. Tertio autem sponsam de Lybano uenire praecipit, quia profectum
in electis suis bonae operationis, salutiferae locutionis, purae requirit cogi
tationis. Vel certe ueni de Lybano inquit sponsa mea, ueni de Lybano ueni.
ueni per optimam uitam quam in corpore uiuens exerceas, ueni absoluto corpore
ad percipienda animae uitae perennis, ueni tertio recepto corpore ad uidenda
resurrectionis gaudia perfecta. Et quia plerique electorum non per suae solum uitae
puritatem, sed per aliorum quoque quos erudiebant correctionem praemium perennae sortiuntur
apte sequitur: Coronaberis de capite Amana, de uertice Sanyr et her
mon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Amana et Sanyr et hermon
montes sunt Ciliciae et Iudaeae, leonibus pardisque quondam et aliis feris lustra
praebentes. Qui manifeste superba infidelium corda, in quibus inmundi spiritus
sedem habent designant. Cui contra de electis per prophetam dominus ait. Super